

medic@

**Cattin de Beaumarchef, Dominique -
candidat / Caron, Jean-Charles-Felix -
président. - An latis abcessibus,
setaceum, fasciâ curatè leniterque
prementi, adjutum ?**

1789.

***Paris : Ex-Typis Clousier, Regis
et Regii Chirurgiae Collegii,
Typographi, viâ Sorbonae
Cote : ms 2346, n°28***

DISSERTATIO ANATOMICO-CHIRURGICA.

AN latis abcessibus, setaceum, fasciâ curatè leniterque prementî, adjutum?

QUAM Deo juvante, & præside JOANNE-CAROLO-FELICE CARON, antiquo Collegii Præposito, Academia Chirurgiæ Socio, nec non Hospitalii Sancti-Jacobi, vulgò dicti du Haut-Pas, Chirurgo primario; tueri conabitur DOMINICUS CATTIN DE BEAUMARCHEF, Noletaus in Burgundiâ, Artium liberalium Magister, jam dudum Scholæ præcticæ, atque Hospitalii Regii Collegii Chirurgiæ Parisiensis, Alumnus, in præstantissimâ Universitate Facultatis Medicinæ Monspeliensis Doctör Medicus, Dissertationis Auctör.

DIE Sabbati 25^a mensis Julii, anno R. S. H. 1789, à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.


DISCUTIENDA.
PARISIIS,
IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.
PRO ACTU PUBLICO,
ET MAGISTERII LAUREA.

Ex scripturæ monito. stemus super vias antiquas & circumspiciamus quæ sūt via bona & recta, & ambulemus in eâ.

BACO, interiora rerum de innov. cap. xxiv.



Ex Typis CLOUSIER, Regis & Regii Chirurgiæ Collegii, Typographi,
viâ Sorbonæ.



DISSERTATIO

ANATOMICO-CHIRURGICA.

An latis abcessibus, setaceum, fasciâ curatè leniterque prementi, adjutum ?

Parisi, apud J. B. Baillière, MDCCLXXXIII.

PARENTIBUS MEIS,

PATRI, MATRIQUE,

CARISSIMIS.

Parisi, apud J. B. Baillière, MDCCLXXXIII.

DISCUTIENDA.

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,

PRO ACTU PUBLICO.

ET N. G. T. M. L. A. V. E. R. A.

Parisi, apud J. B. Baillière, MDCCLXXXIII.

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,

PRO ACTU PUBLICO.

ET N. G. T. M. L. A. V. E. R. A.

Parisi, apud J. B. Baillière, MDCCLXXXIII.

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,

PRO ACTU PUBLICO.

ET N. G. T. M. L. A. V. E. R. A.



IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS,

PRO ACTU PUBLICO.

ET N. G. T. M. L. A. V. E. R. A.



DISSERTATIO

ANATOMICO-CHIRURGICA.

AN latis abcessibus , setaceum , fasciâ curatè leniterque prementi , adjutum ?

INTRODUCTIO.

FACILIUS est certè Naturam ut in se habet videre, quam eam ex communi hominum opinione, uti nobis exhiberi solet, agnoscere; velo tantum obtegatur, nos vero ei personam inducimus, præjudicatisque opinionibus contegimus, nec non pro vero habemus eam agere & operari, non secus ac agimus & opinamur. » Quia Naturam tanquam ex præ altâ » turri, ait summus philosophus (1), à longè despiciere &

(1) Baconi opera, de augmentis scientiæ lib. iv, cap. 11.

» circa generalia nimium occupari solent homines, si descendere placuerit & ad particularia accedere, resque ipsas
 » attentius & diligentius inspicere, magis vera & utilis fieret
 » comprehensio «. Leges igitur *Œconomix Animalis*, sedulo magis scrutemur, Naturæ tramites dum sibi metipsi in sanatione sufficit, vigilanter observemus, nec non vias quibus utitur lectè æstimemus, ut tum Veterum, tum Recentiorum experientia præceptisque comparentur, & inde medicatio consentanea, quantum fieri potest, rerum naturæ simulque clarissimorum virorum Artis theoriæ praxique instituatur. Tale munus à nobis susceptum, hanc quæstionem in contentionem ponendo nempe: *An latis abcessibus, setaceum, fasciâ curatè leniterque prementi, adjutum?* & ad quod exequendum, quantum in nobis est curæ nostræ conferuntur; » ad summam
 » enim putavimus (1) quam maximè necessariam ægrotantium
 » saluti ac medentium gloriæ commodoque futuram hanc explicationem, quæ plerorumque omnium & amplissima &
 » gravissima est, & usu frequentissima «.

EX ANATOMIA.

Cute textuque cellulari operiuntur & involvuntur omnes partes corporis, undè ab Anatomicis tegumenta communia vulgò dicta sunt. Tela cellulosa, sub cute primùm emergens, deindè per totum corpus longè latèque sed crassitudine impari disseminata, ità ex fibris foliaceis que membranaceis componi videtur, ut reticuli instar, areolas diversæ naturæ & magnitudinis, intercipiat, cujus cellulae totum corpus investientes, & in quibus arteriolarum undiquè affluentes adipem venulis resorptam secernunt, inter se communicare depræhenduntur, uti demonstrant Emphisema, Hydrops & humorum decubitus. Verum tantùm superficiem corporis non reperitur, intimas altioresque partes serpit & pervadit, eis firmitatem stabilitatemque legitimam præbet; figuram agilitatem mollitiemque necessariam, ad functiones motusque exequendos concedit, ita ut » muscoli deletâ subcutaneâ telâ cum cute coalescunt » & magnam sui motus amittunt, in servandis cute & textu

(1) Marc. Aurel. Severini de recond. abscess. natur. lib. 1, pag. 2.

5

» cellulari in quantum possunt igitur apostemata aperiendo
» invigilant Chirurghi (1) «. Ubique vasis sanguiferis & ner-
vis refertissima videtur membrana cellulosa, adeo ut pul-
chrè congeries vasorum minimorum omnis generis nuncupari
possit. Cutis est membrana robusta, totum corpus investiens,
quæ ultra modum distendi & ad pristinum statum restitui po-
test. Ex diversis partibus nempe quatuor constans quarum in-
terior Corium dicitur, membrana est crassa, ex fibris tendineis
multisque aliis vasis confecta, cujus structura valdè intricata
ex plurimis foliolis membranaceis, inter se arctè cohærentibus
formari videtur. Secunda verò, seu Corpus Papillare, papillæ
nervæ sunt quæ per totam superficiem corporis confuse dif-
funduntur, nisi partibus, ubi sensus cutis exquisitissimus est,
& ubi secundum spiras ordinatè disponuntur; hæ papillæ ex
nervorum propaginibus, in corpore reticulari dispersis, tran-
scutem emergentes, sub epidermide immediatum sensûs orga-
num constituunt. Tertia, corpus Reticulare *malpighii* etiam
dicta, est membranula tenuissima, innumeris minimis forami-
nulis reticuli instar perforata, cuticulæ proximè subjacet, eique
firmissime adhæret, ut vix indè separari possit: ab eâ pendet
mollities & aptitudo ad tactum. Quarta, Cuticula seu Epider-
mis membrana tenuis est, ex minutissimis lamellis & quasi
squamulis valdè cohærentibus constat; in his copiosissima fora-
minula, pilis, transpirationi & sudori exitum præbentia vi-
dentur; cuticulæ crassities diversa, vasis fibrisque expers cu-
tem ab attritu deffendit & sensum tactûs juvat.

E · X P A T H O L O G I A .

In Apostematibus tempora quatuor vulgò notantur, nempe:
initium, augmentum, status & finis. Quamdiù verò tales
conditiones habet causa proxima apostematis ut morbum faciat
vel augeat, cruda vocatur, ubi autem per ipsam naturam,
aut per medicamenta idonea, sic mutata fuit ut minus recedat
à sanitatis legibus, minusque turbet functiones corporis,

(1) Vid. Thesim de Echimos. & Sugill. in Reg. Schol. Chirurg. pro
pugn. anno 1786, præsid. clarissimo Magistro Ant. LOUIS.

tunc cocta dicitur; » jam perspicuum quoque (1) pro vario » statu mali varias esse mali curaturo indicationes : undè in apostematum generali curatione, indicatio duplex; alia resolutio, quæ in statu cruditatis, seu inflammationis (2), semper tentari debet; altera verò puris evacuatio quæ in statu coctionis, seu maturæ suppurationis, vel ipsâ naturâ, vel arte expelli debet (3). Cùm autem clariss. virorum Artis ab omni ayo discrepaverunt sententiæ, de viarum præstantiâ in abscessuum aperturâ adhibendarum, & præsertim, cum maxime sit inter Veteres & Recentiores differentia de modo quo in latis abscessibus parari debeat puris exitus; nemo non videt istas opiniones diversas, in agendi ratione alterutrorum erroris per gravè argumentum esse, & quam necesse est methodum instituire quæ, quantum efficere potest, naturæ viam & molimen, cùm Artis præceptis & experientiâ conciliare possit.

DE ABCESSUS NATURA.

Abcessus nomine intelligitur inflammationis transitus in supurationem, & puris inde nati collectionem in loco quodam corporis; jam verò ut inflammationis causa remota spectari debet omnis stimulus sive directus, sive indirectus, dolorem seu irritationem producendi capax; dùm vasorum partis affectæ obstructio quâdam irritatione producta, inflammationis & omnium phænomenorum quæ eam comitantur (4) causa

(1) Vid. Van-Sw. Comment. in aph. Boerh. aphor. 394.

(2) Crudam est autem in quo major quasi venarum motus est, & gravitas, & ardor, & distentio, & dolor, & rubor, & durities..... ubi ista se remiserunt jamque is locus prurit & aut sub lividus, aut sub albidus est tunc matura suppuratio. M. Aurel. Cels. de re medi. lib. v, cap. xxviii.

(3) Si pus maturuit in alis quidem & in inguinibus, rarò secundum, item ubicumque mediocris abscessus est, item quoties in summâ cute vel etiam carne vitium est, nisi festinare curantis imbecillitas cogit; satis est cataplasmata efficere ut per se pus aperiatur, si autem altius est malum arte aperiiri debet. Marc. Aurel. Cels. de re medi. lib. vii, cap. ii.

(4) Voyez Traité sur la structure du cœur, par M. Sénac, tom. ii, pag. 173; nec non Thesim in Schol. Medic. discuss. anno 1752, auctore clariss. Ludovico-Anna LAVIROTTE, in quâ non minus planè quam doctè explicatur inflammatio.

proxima meritò putatur. At si ⁷ copiosa magis quam fieri solet excretio aut quælibet evacuatio, arteriarum humorum collectionem non minuit, sed è contrà, si loco inflammato sanguinis velocitatis incrementum, vasa exhalantia tam miro modo dilatat ut pars sanguinis quæ Serum (1) dicitur, diffundatur, ibique stagnationis & caloris ope, gradum fermentationis experiatur, tunc penitus resolvitur in humorem album, tenacem, æquabilem, & minimè fœtidum qui nomine puris donatur, uti liquet observationibus & experièntiis accuratè collectis à DD. *Pringle & Gaber* (2). Peractâ illâ mutatione, inflammationis symptomata omnia mitiora fiunt, partisque mollieties, fluctuatio, albitudo, doloris remissio, pulsus febris, vertex mucronatus, tumorisque gravitas docent pus factum esse. At humorum nostrorum indolem pus acquirere nequit, corpus est enim extraneum, quod ex œconomia animali à naturâ extrudi debet, non tantùm, sed cujus damnum aut presentiam aut ipsius formatione confectum pensandum est; undè duplicem indicationem explere debet natura in abscessibus sibi commissis, aperturam nempe quâ puris exitus conciliatur & partis læsæ restitutionem; idèd dum hæc apertura naturaliter operatur semper est exigua, ita ut de foco abscessus, pro ratione restitutionis textus cellularis, vasorumque vicinorum aut presentiam puris compressorum, aut ipsius acrimoniam vitiorum sensim deducatur materia, sic hoc ipso simul vitantur & humorum affluxus & exitialis Aëris contactus, nec non expletur utraqùe indicatio, » utinam autem medendo (3), tam hanc naturam assuesceremus obser-

(1) Tres partes in sanguine distinguuntur, nempe serum, pars colorata & gluten: serum seu limpha pars glutinis in humore aqueo sub falso soluta videtur, calore supra 45 gradus spissatur & condensatur, ex analysi per Amputam cornu, tam eadem principia ac in ovi albumine revocantur; acidis concrefcit, Aère frigido & alkalinis dissolvitur. Pars colorata iisdem proprietatibus gaudet, etiamne creditur serum esse quod ferro junctum illud dissolvit, & ab eo rubeum colorem accipit. Gluten seu pars fibrosa pugnantem proprietates habet; equidem frigore, quiete & alkalinis cogitur, dum non aquâ, sed acidis debilioribus dissolvitur, atque in aquâ fervente durefcit.

(2) Voyez l'appendix du Traité des maladi. des armées, nec non Miscellanea Taurinens. tom. 11.

(3) Marc. Aurel., Severini, de recondit. abscess. natur. cap xxx., pag. 35.

» vate atque imitari verè quàm verbis profitemur, sed nos
 » in argutiolis & falsis deceptorisque artis subtilitatibus occu-
 » pati, nil magis vulgare vileve facimus magis quam ducem
 » nostram sequi, quo plus ex nobis sapere videamur & ut
 » agros magnificentius occidamus «.

È C H I R U R G I A.

Observatione & experienciâ veteres ducti, in magnorum
 abscessuum sanatione, horum principiorum utilitates agnove-
 rant; consequenter in incisiones magnas nimisque humorum
 detractiones copiosas insurrexerunt, & pure evacuato astrin-
 gentia molliaque lineamenta, tum ad humorum affluxum
 pugnandum, tum ad materiæ purulentis fluxionem salutarem
 servandam, suaserunt; idè sic monuit *Celsus* (1), » semper
 » autem ubi scalpellus admovetur id agendum est ut quam
 » minimæ & quam paucissimæ plagæ sint «. Testimonio *Joan-
 nis Tagaultii* (2), *Galenus* » maximas sectiones semper vitan-
 » das præcepit quod si aliquando excidere aliquid propter
 » multitudinem non puris modo, sed etiam corruptarum par-
 » tium, fuit opus, contentus erat sectione quæ mirei folium
 » imitatur, planè ut inquit non magna, ex amplis enim sec-
 » tionibusubi ad cicatricem perducta est particulæ, præterquam
 » quod turpissima redditur, fitetiam imbecillior, & ad motum
 » ineptior «. Juxtà *Hieron. Fabr. ab Aquapend.* (3), hæc enim
 Hypocrates in progressû præcipit, » facienda sectio non nimis
 » magna ne turpis postea cicatrix sit, neve durities accedat, aut
 » cutis cum subjectis musculis agglutinetur & ob hæc ambo
 » difficillis motus musculorum succedat «. Suadent etiam
Hypocrates, *Guid. Cauliacus* & *Pareus* (4), non confertim
 materiam in abscessibus magnis effundere, ne per humorum
 affluxum vires agri dejiciantur, sed sagacissimè observavit

(1) De re medic. lib. vii, cap. ii.

(2) Thesaur. Chirurg. de tum. prætern. lib. i, pag. 690.

(3) Oper. Chir. de tum. prætern. lib. i, pag. 43.

(4) Aphorif. Hypocr. sect. vi, n°. 27, ex D. Bosquillon. Tractat. ii,
 Doctr. i, de phleg, cap. i. Des tumeurs en général, liv. viii, ch. x,
 pag. 167.

9

Hier. Fabr, ab Aquap. (1): si pus non sit admodum copiosum, ait, totum unicâ vice evacuandum est & statim tum ut leniatur dolor ab incisione excitatus, tum ut repellatur humor qui ratione incisionis & doloris attrahi potest, spongiâ ex aquâ tepidâ expressâ & impositâ, aut impositus ex ovi albumine subactâ stupa excepto prius impositâ turundâ id est lineamento implicito & involuto, ut apertus fervetur locus; quin etiam quod relativè ad praxim est magni momenti, addit: » si foramen sit angustum & sinus latus, satius erit curare sinum per agglutinationem, nam cum medicamentum, turundâ appositum non pertingat ad omnes partes sinûs, necessario sanies semper colligitur, quæ erodendo sinum latiore efficit, & proprereâ glutinandus est sinus impositâ spongiâ expressâ in vino nigro, deindè arctius fasciâ super ligatâ. Nos verò docet *Galenus* quomodo hæc fascia imponi debeat » post medicamenti agglutinantis applicationem, inquit (2), spongia recens ex mulso aut vino circumjiciatur, quam mollissimè fieri potest, atque alligatio quidem incipiat à fundo sinus & desinat autem ad os; linearum circumductiones, constringantur quidem in fundo sinus, sed non ita ut dolorem inferant; paulatim autem laxentur usque ad os sinus, quod quidem habeat laxam alligationem emplastrumque, quod ei extrinsecus admovetur adeò discissum, ut ex ore ipso humores vitiatî si qui exeruntur à sinu, faciliè defluere possint. His omnibus positis, an mirum non est quod tum naturæ, tum artis clarissim. viro- rum monitis, Chirurgi quidem officiis despectis (nam ad officium Medici censeo pertinere, inquit *Baco* (3), non tantum ut sanitatem restituat, verum etiam ut dolores & cruciatus morborum mitiget), amplas sectiones suadeant multiplicentque Neoterici? Sic enim præcipit (4) *Boerhavius* » intrudatur scalpellum dein elevetur æquabili sectione, sursum latâ plagâ; sic ipsius Commentator insuper addit: » pro generali regulâ » haberi potest dum abscessus pertundetur, tam latam debere

(1) Op. Chirurg. lib. I, pag. 44.

(2) Epitom. de art. cur. ad glauc. lib. II, cap. VIII.

(3) De augmentis scientiar. lib. IV, cap. II.

(4) Comment. Van-Sw. in aphor. Boerh. tom I, aphor. 410.

» fieri plagam, quàm à sine periculo læsionis partium subjec-
 » tarum fieri poterit «; sicque tandem sexcenti alii Scriptores;
moris servi, temporis ludibria, in latis abcessibus, tum ra-
 tione tumoris magnitudinis, tum puris contenti quantitatis,
 aperturam faciendam esse dixerunt, dùm plerique de iis quæ
 adhibenda sunt, ut puris exitus incommoda vitentur, altum
 silentium agunt. Tandem antiquorum Artis Magistrorum variæ
 opiniones circa viarum præminentiam, quibus utebantur ad
 latos abscessus pertundendos, minùs ex dubitatione vel noti-
 tiarum, de re optimâ faciendâ, defectu nascebantur, quàm ex
 difficultate ope unius methodi, varias indicationes explendi;
 equidem alii ferrum candens præoptaverunt cum *Aurel. Se-
 verino & Celso*, » cujus hæc gratia est, ait *Celsus* (1), quod
 exigua hæc plaga diutiùs ad pus evocandum patet «. Alii scal-
 pillum juxtâ doctrinam *Albucaſis* eligunt, quia ait *Guido Caulia-
 cus* (2), quam variis ruptoriis tutius & mitius operantur. Sunt
 qui cauterium potentiale suadent, tum quia ut dicit *Pareus* (3)
 meticulosi & pusillanimes sunt ægri quidam, ferro territi; tum
 quia materiam crudam ad maturitatem cauterium potentiale
 adducere judicant. Jam verò levissimo examine adhibito,
 omnibus planè liquet, nullam esse ex his omnibus methodis,
 quæ tam perfectè & absolutè hæc omnia commoda complecti-
 tur, methodo setacei fasciæ curatè leniterque prementi, ad-
 jutâ; equidem scalpri cuspidè tantum peracta hæc methodus,
 ut infra dicemus, ignis flagrantis apparatus crudelem non
 præbet, aliis ruptoriis tutior, citior, & mitior est; si fortè
 res postulat, facilius ad voluntatem prorogatur suppuratio, nec
 non ad abscessus partem internam, medicamenta setaceo ap-
 posita feruntur; sic Aëris contactus semper vitiosus vitatur sic
 medicatio & naturæ consiliis & artis præceptis magis conso-
 natur. Sed Ratio dubia est & incerta, quam experientia non
 fulcit, ut cæca est experientia quæ rationem pro duce non
 agnoscit; » ad disciplinam enim perfectam, ait *Galenus* (4);
 » semper alterum altero indiget «: nunc sit ergo Magister ex-
 perientia.

(1) De re medec. lib. vii, cap. ii.

(2) Traçt. ii, doctrin. i, cap. i.

(3) Œuvr. de Chir. liv. vii, chap. x, pag. 166.

(4) Epitom. de composit. medicam. lib. viii, cap. vi.

Die trigesimâ Januarii hujus anni 1789, ad honestum virum D. Dup** , ætate circiter 40 annorum vocatus, magno abscessu totam clunis sinistrae amplitudinem occupanti cruciatur; fervidissima febris, accerbissimique dolores fuerant, macies tunc & virium defectio summa erat, inferiorum partium & scroti, quin etiam brachiorum & vultus tumor œdematosus, morbi violentiam & naturæ extenuationem satis indicabant. Attamen mali causa nulla noscebatur, tantum in hac parte coxæ jam dudum dolore rhumatismi vexabatur æger; quantum in me fuit exploratè Rectum intestinum Uretræque canalem, illaesa fuisse cognovi; ideò die sequenti, præsentè clarissimo Medico *Bosquillon*, cuspide scalpri, parti superiori leviterque exteriori sectionem exiguam usque ad puris collectionem permeantem feci; deindè in hanc aperturam, specillum canaliculatum, ex omni suâ longitudine, ab externâ ad internam partem clunis introduxi, & super ejus extremitatem inferiorem, infra ischii Tuberositatem, novam satis exiguam sectionem patravi; ita ut in his incisionibus à summo ad imum fetaceum cerato illinitum, collocare possim; humor purulentus, sed non magnâ quantitate effluxit; primis diebus ob dolorem cataplasmate coopertum fuit malum; & die sequenti magis & in dies major fuit puris ejectio; sed exitu inflammationis resolutionisque tumoris, decimâ die circiter pergravis difficultas occurrit; loco enim ad anum perinæumque sito, puris collectio plurimæque durities, posteriori aperturâ inferiores se præbuerunt; ideò ad puris exitum magis commodum conciliandum, cauterium potentiale huic loco necessarium applicare, jam existimaverat Medicus; attamen mediantibus digestivis quibus illinitum fuit fetaceum, durities liquerunt; deindè alligatione sedulæque appositione spongiarum, aquâ calcis & vitæ expressarum (1); non tantum humorum ad os sinus repellere, sed etiam ad finem feliciter curandum per agglutinationem tentavi; quod mihi per prosperè successit; ita ut educto fetaceo tam benè & rectè agglu-

(1) Nobilissimâ aquâ calcis, per aliquot dies usurpatâ, multos tumores œdematosos jam consistentes, discussi... Notandum verò quod pars, oleo amigdal. vel cerato inungi debeat; facile enim fieri potest ut partis quædam calcis, quæ est accerrima & corrosiva, in aquam transfusam abierit quæ cum spongiâ applicatâ, erodere partemque mordicare possit. SCULTETI armam. Chirurg. obs. LXXII.

tinatus fuit sinus, ut primis diebus Aprilis felicissimè convalescerit Æger. Aliundè constat ex testimonio clar. BELL (1), setacei methodum, in Hospitio Regio Edimburgensis nuper adoptatam, semper sanationem per expeditissimam consecutam fuisse; nec non ex monito D. SABATIER Professoris celeberrimi, qui dùm in suis lectionibus hanc methodum hydrocelis causâ celebrat, quotannis notat eam non impari successu, in quâcumque aliâ puris collectione, etiam adhiberi posse.

Ergò constat tum ab experienciâ, tum ex optimorum virorum artis præceptis, nec non Naturæ observatione, setaceum in latis abcessibus, fasciâ curatè leniterque prementi adjutum, adhibendum esse.

(1) Voyez Traité des ulcères, trad. de l'angl. par M. Bofquillon.

F I N I S.